



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Compendivm Totivs Tractatvs De S. Matrimonij
Sacramento R. P. Thomæ Sanches E Soc. Iesv**

Sánchez, Tomás

Coloniæ Agrippinæ, 1624

T.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41559

ut incipiat finito priori tempore, lib. 3. tota disp. 50.

2. Suspensus ab officio non est suspensus à beneficio, nisi expressè id declaretur. Tamen ubi suspensio esset perpetua, & ob graue delictum, potest sic suspensus priuari titulo beneficij. Vnde parochus suspensus ab officio, quia interfuit matrimonio clandestino, non est à beneficio suspensus, *lib. 3. tota disp. 51.*

3. Suspenitus triennio, vel ad certum tempus, quia interfuit matrimonio clandestino, non potest absolui ab Episcopo, nec virtute decreti Trid. *Sess. 24. c. 6. de reformat.* Tamen à suspensione ipso iure imposita in Trid. *Sess. 24. cap. 1. de matrimonio parocho,* vel alij sacerdoti coniungenti, aut benedicēti alienos parochia nos absque licentia proprij parochi, non solus Episcopus, sed etiam eius Vicarius generalis potest absoluere, *lib. 3. tota disp. 52.*

4. Suspensio non incurritur, nec excommunicatio, nec interdictum ob culpam veniale, *ib. 9. disp. 32. nū. 29.*

T

Testamentum.

Pater potest dare facultatem filio testandi de legitima ipsi debita ex bonis filijs, ut possit liberè de illis disponere in præiudicium aliorum filiorum. Exigitur tamen iumentum patris, ut valeat licentia, nisi fiat in ipso actu restandi in vita, vel in morte; que in-

ccc.

terueniente iuramento, non potest revocari,
& obtenta licentia potest filius instituere ma-
ioratum suis conditionibus; mater tamen, dū
nupta est, non potest concedere hanc licentiā
absque viri licentia, lib. 6. disp. 4. n. 19. 20. & 21.

2. Vidua transiens ad secundas nuptias non
perdit facultatem exequendi testamentum,
vel potestatem nomine viri testandi ab ipso
sibi concessam, lib. 7. disp. 88. n. 14. & 15.

Titulus.

1. Gestā à iudice ordinario, vel delegato ad
vnā & alteram causam, etiam quando vitiū
est circa commissionem factam à legitimo su-
periori, nisi ius in pœnam casset pertinentia
ad vtrumque ad forum, valida sunt, si is iudegat
titulum habeat communi errore existimatū
legitimum, & à legitimo superiori collatum.
Tamen nō sufficit error vnius, vel alterius, nec
error solius Principis concedentis titulū, nec
error cōmuni crassus, vel supinus. Sufficit ta-
men communis error in eo loco vbi actus ge-
stus fuit, quāvis in alio notoriū sit impedimentum.
Idem si in eo loco erat publicū, & denun-
tiatū impedimentum, si tantum temporis spa-
tium intercesserit, vt iam ab hominum me-
moria lapsus sit, ita communiter ignoretur,
lib. 3. disp. 21. à n. 1. vsque ad 20.

2. Gestā per habentem impedimentum iu-
ris diuini, aut naturalis, quamuis concurrat ti-
tulus putatiuus, & communis error, sunt nul-
lius momenti. Erunt tamen valida, quādo im-
pedimentum.

§. 6

pedi-

pedimentum est solius iuris humani. Vnde si non sacerdos sacramentaliter absoluat, quamuis communiter existimetur sacerdos, & verus parochus, absolutio est irrita. Idem de Pontifice inhabili, ut foemina, & de iudice carente usurrationis, lib. 3. disput. 22. à num. 21. usque ad 29.

3. Gestā per habentem titulum putatiūm obtentum tempore, quo occultē excommunicatus erat, valida sunt, dum impedimentum communiter latet. Item omnia gestā per excōmunicatum occultum existente communī errore validā sunt. Item per quemcumque publicē excommunicatum, dum denuntiatus, vel notorius clerici percussor non sit, licet in hoc loco sit occultus, & in alio denuntiatus, vel denūtiatus in eodem loco, & temporis spatio illa denuntiatio obliuioni data est. Itē iudex occultē excommunicatus potest validē excommunicare, licet sit publicē, dummodo non denuntiatus, aut notorius percussor clerici. Item potest gerere iurisdictionem circa temporalia, & spiritualia. Secūs dicendum in omnibus de excommunicato denuntiato; vel notorio percussore clerici. Secūs tamen de hæretico occulto, vel publico non denuntiato. Et hæc, quæ dicta sunt, non solum intelliguntur de parocho, sed etiam de delegato ex speciali delegatione audiente confessiones errore communī, & titulo vero, aut putatiuo, libr. 3. diff. 22. à nu. 30. usque ad 39.

4 Ge-

4 Gest̄ per habentem titulum putatium sunt valid̄ etiam respectu scientium impedimentum, sed sunt retractanda in punitionem delicti. Secus dicendum, quando impedimentum est excommunicationis non denuntiat̄, aut notoriæ percussionis clerici, & de confessione facta scienter excommunicato occulto, vel publico non denuntiat̄, &c. Idem dicendum, quando est denuntiat̄ in alio loco, & in isto vbi exercet iurisdictionem ignoratur quantum ex parte iurisdictionis, lib. 3. disput. 22. à numer. 40. usq; ad 46.

4 Ut gesta valeant, non sufficit communis error, sed necessarius est titulus collatus à superiori, quamvis validus sit ob aliquod vitiū latens: nec sufficit titulum conferri à quocunque superiori, sed conferendus à legitimo conferre potenti. Vnde si error sit in persona delegantis, licet existimatus verus prælatus, gesta per delegatum erunt nulla. Nec sufficit electio facta à potente eligere, vbi confirmatio superioris est necessaria, sed oportet hanc accedere. Idem dicendum de gestis per electum, si peccetur in electionis forma, eo quod solemnitas iure prescripta omittatur in electione, vel collatione, nisi accedat legitimis superioris confirmatio, lib. 3. disput. 22. à numer 47. usque ad 53.

6 Quando quis ob delictum ipso iure amittit officium, dum amissio occulta est, valent gesta per illum. Idem dicendum quando pri-

§ 7

uatio,

uatio, & hominis inhibitio est occulte cōcurrēte communi errore, lib. 3. disp. 22. à nū. 55. usq; ad 59.

7 Matrimonium contractum coram parocho intruso, non habent i titulum à legitimo superiori, non valeret. Secūs, si titulum habeat inualidum ob vitium occultum, licet notum sit contrahentibus, illum non esse verum parochum. Idem si laicus existimatur sacerdos assistat matrimonio de licētia parochi intrusi. Item erit validum, si reuocet licentiam legitimam concessam stante reuocationis errore. Item si parochus eo ipso beneficium amittat, si matrimonium assistat, vel alius de eius licentia, validum est, lib. 3. disp. 22. à nū. 60. usq; ad 63.

V

Vagis.

1^o Vagi dicuntur carentes domicilio certo, habitationis, licet habeant originis. Item qui pristinum domicilium omnino descentes, nauigant, vel iter faciunt, quarentes, vbi se collocent, licet destinassent, vbi domiciliū constituturi sint, nondum peruenient ad illud. Item qui relicta parochiā, dum nō inueniunt domum, hospitatur in aliqua parochia ad breue tempus, lib. 3. d. 25. à n. 1. usq; ad 4.

2 Vagi possunt cuicunque parocho fateri, & idem dicendum de vago qui hospitatur in aliqua parochia obiter, libr. 3. disp. 25, num. 5. 6. ¶ 8.

3 Pār-